



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte
Orandi & meditandi methodo**

Balsamo, Ignazio

Coloniæ Agrippinæ, 1612

Cap. XXV. De Creaturis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

Hoc pacto posset aliquis qualibet hebdomada meditari septem principales Christi virtutes.

Dominica die. *Charitatem.*

Feria Secunda *Humilitatem.*

Tertia. *Patientiam.*

Quarta. *Obedientiam.*

Quinta. *Mansuetudinem.*

Sexta. *Paupertatem.*

Sabbato. *Castitatem.*

SEXTVS est. Meditari octo beatitudines, atque in singulis tria hæc animo reuoluere.

1. Sententiam ipsam, quæ duo continet puncta, *virtutem, & virtutis premium.*

2. Quantopere virtus hæc in Christo eluxerit.

3. Quam longè ab sim ab hac virtute, & quantum utilitatis ex ea mihi prouenturum sit, si eam possiderem.

**MODI MEDITANDI DE
Creaturis.**

C A P. XXV.

PER considerationem creatura-

I 5 rum

rum perueniri potest ad insignem aliquam Creatoris notitiam : nulla enim est creatura quantumuis parua, quæ non demonstret factoris sui potentiam, sapientiam, & bonitatem.

Quisquis igitur in vita Spirituali proficere desiderat, totum se tradere debet lectioni, maximi & pulcherrimi libri huius mundi, qui omnibus patet: atq; frequentes de ijs quæ legit meditationes instituere: quod duplici methodo fieri potest: vt, vel omnes simul huius mundi creaturæ in meditationem assumantur, vel vna tantum; vt *Cælum, terra, &c.* atque in illa, Dei potentia, sapientia & bonitas considerentur.

Assuescet quoque omni hora dum creaturam aliquam aspicit, vt *animal, florem &c.* cor suum ad Deum erigere, & secum expendere, quis illum fecerit, & quam multa in ea diuinæ potentia, sapientia, & bonitatis vestigia appareant. De omnibus autem creaturis generatim ista considerabit.

1. *Magnitudinem mundi huius,*
Creat

Creatoris magnitudinem demon-
strare.

2. *Multitudinem & varietatem re-
rum, infinitas quæ in Deo sunt per-
fectiones.*

3. *Elegantem huius mundi ordinem,
Dei sapientiam.*

4. *Vtilitates quas creaturæ nobis
præstant, Dei bonitatem.*

5. *Pulchritudinem mundi, diuinam
speciem & venustatem.*

6. *Rotunditatem, principio & fine
carentem, Dei æternitatem.*

7. *Vnitatem mundi, Dei vnitatem.*

8. *Bonorum, quæ à creaturis acci-
pimus abundantiam, Dei liberalita-
tem.*

9. *Firmitatem & constantiam mū-
di, in eodem semper situ manentis,
Dei immutabilitatem.*

De singulis creaturis speciatim
hæc secum perpendet.

1. *Illius principium quod est DEVS.*

2. *Finem cur condita fuerit, id est,
ad Dei honorem, & hominis serui-
tium.*

3. *Vnde & quomodo facta fuerit:*

4. *Qualitates & effecta eiusdem
Creaturæ.*

MODI MEDITANDI DE
perfectionibus diuinis

CAP. XXVI.

PRIMUM necesse est, earum perfectionum habere Catalogum: Et sunt autem hæc. *Essentia infinita, Potentia, Sapientia, Bonitas, Amor, misericordia, Iustitia, Prouidentia, Liberalitas, Patientia, Mansuetudo.*

DEINDE oportet nosse & cōsiderare opera & effectus, quos de hac vel illa perfectione Deus mōstrauit.

Ad quod exempla & sententiæ S. Scripturæ non parum momenti & adiuuenti adferent. Veluti ad cognoscendam Dei essentiam plurimum proderit hanc sententiam Iere. *Calum & terram ego impleo.* Et illam Pauli. *In ipso uiuimus, mouemur & sumus.*

Iere. 2.

Act. 3.

Psal. 32.

AD potentiam pertinet. *Dixit & facta sunt.*

Ac proinde meditatio hæc perfectiori-